QUÆSTIO MEDICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 22. Januarij.

M. LUDOVICO GAYANT
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An spiritus animales in cerebri substantiâ procreantur?

I.

QUIDQUID vitam agit ingenito calore, spiritu humidoque perfusum continetur ac regitur: triplex illud vitæ principium in hominis spumoso semine latitans, inseritur ab ortu solidis partibus, quæ frigidæ alioquin & exangues, hujus beneficio concalescunt, & omne officij genus exequuntur: quia verò tenuis hæc aura promptè evanesceret nisi alterius adventu reficeretur, novi perpetuò spiritus errantes propriis ductibus in omne corpus dimanant succeduntque, influentes dicti, qui fixis accedunt in subsidium; & ne citò dissolvantur, influxu suo prohibent. Nonnulli aëreos necnon æthereos sibi perperam fingunt spiritus: gravissimè cæcutiunt qui nihil diviniùs investigantes, ipsos, animæ substantiam esse, temerè pronuntiant; cùm reverà nihil aliud sint quàm sanguinis pars calidior & tenuior. Ut corporis principatum tres vulgò partes obtinent jecur, cor & cerebrum, ita triplex spirituum ordo statuitur, naturalis, vitalis & animalis: an detur naturalis dubitat Galenus? Aristoteles nusquam naturalem dirimit à vitali: Philosophi nobis arridet opinio, & cum eo duplicem solummodò suspicamur esse spiritum, vitalem, quem cor assiduò per arterias emittit, temperiëi præcipuè sobolem; & animalem, à cerebro in partes sensûs & motûs

compotes per nervorum ſpiracula derivatum, præſertim conformationis opus: tunc enim progignitur cùm rarior ſanguis arctos pervadens meandros ſero ſuo liberatur.

II.

SPIRITUS vitalis in partium omnium nutritionem faceſſit & vitam tuetur: hujus materia ſanguis eſt ab univerſo corpore remeans, cum chylo mixtus: in dextro cordis ſinu necnon in pulmone quoddam veluti rudimentum conſequitur, in ſiniſtro perficitur ope caloris & fermenti: nulla quippe in corpore concoctio abſque fermento, quod digerendo, dividendo, craſſas partes lævigando, duras fundendo, caloris actionem promoveat. In ventriculo ex chylo ſuperſtite, ſalivâque interdùm deglutitâ conflatur: illud ructus acidos gignit, ventriculi membranam pungendo & vellicando famem excitat, non auſterus humor, ſive bilis atra per vaſa brevia defluens à liene: ſicut igitur circà ventriculi rugas ceſpitat humor acidus, qui alimenta in minimas partes blandè & lentè diſſoluit, comminuit; ſic in ſiniſtro cordis ſpecu fibris innumeris referto delitеſcunt reliquiæ ſpiritûs ardentes, quæ efferveſcentiam ſuſcitant in ſanguine ab auriculâ propulſo, jam ſubacto & agitato, cùm per valuas quæ tricuſpides vocantur, remiſsè negligenterque claudentes & cribri in morem pervias penetravit. Hoc modo fervidior factus, in cordis contractione quæ συςολὴ vocatur (cùm ſcilicet baſis accedit ad mucronem) per valvarum fibroſam ſubſtantiam denuò attenuatus, partim repellitur in auriculam jam dilatatam (hæc enim & cor alterno motu pulſant) partim magnâ vi erumpit in aörtam, triplicis ſubſtantiæ fluorem reparaturus.

III.

CEREBRUM nobiliſſima pars corporis, ſpiritum animalem motûs ſenſûſque principium de ſe tanquam jugi de fonte promit: primum hoc animæ inſtrumentum ab hauſto aëre non nutritur, ſed à vitali oritur ſpiritu ulteriùs elaborato, per arterias carotides delato & vertebrales, quæ volatilem ſpirituoſamque ſanguinis partem ſurſum devehentes, ſtatim atque intrà cranium emerſerunt, tunicam deponunt: carotides quidem pauliſper incurvantur, ut ſanguinis rivuloſè fluentis frangatur impetus, ne citatiori curſu ſubitò irrumpat in ſubſtantiam cerebri; mox tenues emittunt ramos, qui glandulæ pituitariæ inſerti, multiformi varióque nexu contextum conficiunt ſtruuntque rete mirabile dictum, ſero forſan ſecernendo deſtinatum, quò reliquus latex purior evadat; tandem

medullarem cerebri ſubſtantiam ad ipſius nutritionem partim pervadunt, partim in majores duas confluunt arterias, quæ per craſſæ menyngis foramina elapſæ, per cerebri ſuperficiem ad ſpirituum animalium elaborationem in mille ſurculos diſperguntur. In his anguſtioribus vaſis ſanguis ſubtilior factus, per arteriarum ora in cerebri poros profundiùs inſinuatur, & à cortice cinereo in albicantem ſubſtantiam anfractibus omnibus ſubſtratam ſcaturiens, ſpiritûs indolem conſequitur; etenim liberatur parte ſui craſſiori & aqueâ penitiſſimè ipſi adhærente, non ſecus ac per ſpongiam oleo imbutam, medullæ ſubpingui aſſimilem, ſeparatur à ſuo phlegmate ſpiritus vini puriſſimus, ſpiritui animali proximè accedens. In hâc medullari ſubſtantiâ & principes animæ functiones exercent ſpiritus, & appendicis nervoſæ crura ſubeuntes, per nervos ſensûs & motûs organa in univerſum corpus demigrant.

I V.

VERTEBRALES cùm jam in cerebri baſim permanarunt, tùm carotidibus intimè uniuntur & junctis viribus cerebri ſuperficiem perreptant, tùm maximè cerebello & poſticæ medullæ oblongatæ parti irrigandis inſerviunt, liquoremque benignum diffundunt, qui per cerebelli meatus expreſſus, in ſpiritus animales abit. Si præter hanc rarioris ſanguinis per poros expreſſionem, ſale quodam volatili cerebelli cerebrique præcipuè corticem perfuſum eſſe ſcias (ut color ipſius & odor apertè demonſtrant) quo veluti fermento ſalutaris humor incidatur, naturæ in animali cudendo ſpiritu induſtriam omninò percipies. Seroſa interim colluvies vehiculum ſpiritûs (ſi quando magis abundat quàm ut per venas aut vaſa lymphatica non reducatur) ad cerebri ventriculos ſibi viam facit, hinc illabitur in infundibulum, mox in glandulam pituitariam ſellæ Turcicæ impoſitam, donec per cunei foramina in os ſpongoïdes & in palatum pedetentim inſtiller, foraſque deturbetur. Craſſior ſanguis, vel per cervicales venas refluit, vel excipitur ab oſculis vaſorum quæ per corticem cinereum diſtributa in ſinum ſuperiorem deſinunt, à quo in ſinus laterales deinde in jugulares venas interiores ipſis continuas exoneratur, vel ſubit venulas per medullarem ſubſtantiam ſparſas, plexûs choroïdis ramos, quæ ſupervacaneam hanc materiam in ſinum rectum, cujus propago eſt plexus ille pineali ſuffultus glandulâ, extrà omnes ventriculos ſitâ, mox in laterales, demùm in eaſdem jugulares deponunt, per quas ad dextrum cordis ſpecum iterum deducitur.

V.

EX his conficitur ſpiritus animales in cerebri ventriculis non generari : hujus enim ſtructuram ſeriò perpendenti palam eſt non eſſe ventres in ipsâ ſubſtantiâ excavatos, ſed tantùm per accidens continuatam hanc cavitatem de complicatione cerebri reſultare : non igitur illic ſtatuenda ſpirituum animalium officina, qui tenues & avolare apti non ſpatia ampla & aperta, in quibus recrudeſcerent & exhalarent, ſed meatus & poros arctiores poſtulant, quippè cùm natura tenuis alicujus materiæ perfectionem molitur, hanc in exilibus ramis longo tempore retinet fovetque, nec eam unquam in campo libero ſinit expatiari; cujus rei fidem facit miranda ſanguinis in ſemen converſio, ſpiritûs animalis generationi perquàm ſimilis. Porro quid ſi galli Indici, anſeres multæque volucres ſenſu & motu præditæ, his tamen careant ventriculis? Præterea conſtat quartum ventriculum in ſpinalem medullam non terminari. Denique cùm ſinus illi ſeroſâ illuvie ut plurimùm referti conſpiciantur, & ad pituitæ redundantis collectionem excretionemque omnium conſenſu comparati ſint, æquùm non eſt puriſſimos ſpiritus inter tot excrementa volutari. Quia verò nihil eſt fruſtrà in corpore conditum, huic vacuō tùm vilis cloacæ officium delegamus, tùm cerebri motum ab indeſinenti arteriarum pulſu impertitum juvare opinamur, ſolida enim undiquaque moles abſque cavitate dilatari & contrahi minimè poteſt.

Ergo ſpiritus animales in cerebri ſubſtantiâ procreantur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Lombard.	*M. Robertus Raoult.*	*M. Ioan. Arm. de Mauvillain.*
M Philippus Mathon.	*M. Mattheus Thuillier.*	*M. Bertinus Dieuxivoye.*
M. Raymondus Finot.	*M. Ioan. Bapt. Ferrand.*	*M. Stephanus Bachot.*

Proponebat Lutetiæ PETRUS YON, Pariſinus, A. R. S. H. MDCLXXI.

PARISIIS,

Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis Typographi, viâ Citharæ.